

pium , & diffusum , pro rei veritate nescimus . Probris
loco nequit esse , quum in bonam possit accipi partem ,
& in malam ; & ulterius lateat cuique , quam ob causam ,
an laudis , an contumeliae fuerit a principio usurpatum .

Quæ autem de Brutianis asserit Calepinus , ea dem
sunt , ac prorsus immutata , cum illis , quæ Festus
Pompejus enarravit . Iisdem proinde rationibus refel-
luntur , quibus Pompeji dicta confutavimus . Quibus
etiam occurritur aliis Calepini verbis , quæ in auctio-
ri exemplari reperiuntur ; scilicet ad verbum *Brutii* ,
post illa , ubi *Consentia est* , additur : *Quæ fuit eorum
metropolis , quam Regionem prius Ausones habitabant .*
Hi multo post tempore , & ab Hannibale , & a Romanis ,
*propter eorum persidiam , plane deleti fuere , sine digni-
tate , sine honore , ad servilia opera semper coacti .* Quam
veri speciem præferant hæc verba , non solum quæ
huc usque scripsimus , ostendunt manifeste ; verum
quoque demonstrabunt evidentius , quæ mox scribe-
mus . Interim Scriptores alios percurramus .

A Pitisco recensentur , qui sequuntur ; Alexander
ab Alexandro , gen. dier . 6. 22. Sigonius de antiq. jur.
Civ. Roman. 11. 15. Polletus For. Roman. 5. 13. Rhodiginus ant. lect. 25. 19. Crinitus hon. disc. 11. 7. Popm.
de Oper. Serv. p. 10. Oizel. in Gell. noct. attic. 10. 3.
Borrich. ant. urb. fac. c. 11. §. 4. Et præter hosce ha-
bemus Josephum Laurentium Lucensem , in sua Amal-
thea Onomaistica , ad verbum *Brutiarii* , ubi hæc scri-
bit : *Brutiarii coacti servitia agere , Brutiani , Lorarii ,
Ministri Romanorum in Provinciis .*

Verum quia hi omnes exscribunt , non scribunt ;
ideo esset actum agere , si illos denuo confutare velle-
mus , post semel & iterum confutatos eos , a quibus
exscri-